Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Magni Servi Dei P. Julii Mancinelli Societatis Jesu

Cellesi, Jacopo

Oeniponti, 1677

Protestatio Auctoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42734

Visual Library

PROTESTATIO AUCTORIS.

CVm ſanctiſſimus Do. N. Vrbanus PP. Octavus die 13. Martii anno 1625. in S. Congregatione S. R. & univerſalis inquiſitionis decretum ediderit, idémque confirmaverit die 5. Julii anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, ſeu Martyrii famâ celebres è vita migrarunt, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcunque beneficia, tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem ſanctiſſimus die 5. Junii anno 1631. ità explicuerit, ut nimirum non admittantur elogia Sanctorum, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, benè tamen ea, quæ cadunt ſuper mores & opinionem cum Proteſtatione in principio, quòd iis nulla adſit auctoritas ab eccleſia Romana, ſed fides ſit tantùm penes auctorem. Huic decreto, ejúsque confirmationi, & declarationi, obſervantiâ & reverentiâ, quâ par eſt, inſiſtendo, profiteor, me haud alio ſenſu, quidquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem divina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut ſanctæ ſedis Apoſtolicæ nituntur, iis tantummodo exceptis, quos eadem ſacra ſedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

VITA